

Manfridus dei gratia rex Sicilie Rogerio Bonifacio et iudici Iacobo de Bufalo fidelibus suis^a gratiam et bonam voluntatem.

De fide et diligentia vestra curia nostra plenarie confidente^b vos super procuratione Messanensis ecclesie nunc vacantis, quam ratione vacationis ipsius per nostram curiam procuramus^c, duximus a mense Septembris proxime futuri sexte indictionis in antea pro parte curie statuendos^d. Fidelitati vestre precipiendo mandamus, quatenus bona omnia ipsius ecclesie, mobilia et immobilia, sub procuratione vestra recipientes a Mattheo Rufulo de Ravello secreto Sicilie pro eodem anno sexte indictionis, fideli nostro, cui de assignandis vobis bonis ipsis mandatum excellentie nostre dirigimus, et factis de receptione ipsorum tribus similibus scriptis publicis, distincte et seriatim omnia bona ipsa continentibus, quorum uno penes vos retento, alio eidem secreto dimisso et tertio ad curiam nostram transmisso, ecclesiam ipsam in bonis suis a Kalendis¹ predicti mensis Septembris in antea diligenter et fideliter procuretis, tribuentes de bonorum ipsorum proventibus luminaria et alia necessaria^e, que pro divino cultu concernunt celebrando, ut honor debitus ibidem reddatur altissimo, per quem vincimus et regnamus, et divina ibidem^f assidue celebrentur; canonicis autem et aliis clericis ipsius ecclesie, qui videndas^g et alia iura consueverunt recipere, et aliis personis ad servitia deputatis videndas ipsas et alia consueta tempore vestri officii ministretis; domos etiam, vineas, molendina et possessiones ipsius ecclesie de eiusdem proventibus reparari et excoli diligenter faciatis, ne sub procuratione vestra deperdantur, sed de bono in melius augeantur; totum id, quod extractione omnium predictorum de proventibus ipsis supererit, Mainotto Palmentario et Thomasio de Bilici statutis super reparatione eiusdem ecclesie pro reparatione ipsa, prout per vos percipi contigerit, assignetis. Et ut liqueat, si in procuratione ipsa diligenter et fideliter duxeritis procedendum, volumus et mandamus, ut quolibet trimestri tempore ponatis coram secretis Sicilie, qui erunt pro tempore, debitam rationem. Insuper cum nolimus vos in servitiis ipsis ex-

a) eius. b) confidens. c) procurationem. d) statuendis.
e) necessa. f) ibique. g) vidanda, wie im Italienischen, eine andere Form für *vivanda*.

Octobris, ind. 12., imp. 4., reg. 26. Also offenbar 1224; da ist die Urkunde nach B. F. 1541 einzureihen. 1) Vgl. S. 179 Anm. 4.